DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

QUAM

SUB MODERAMINE VIRI ADMODUM REVERENDI

GULIELMI SMITH, S. T. P.

COLLEGII ET ACADEMIÆ PHILADELPHIENSIS PRÆFECTI,

EX CURATORUM AUCTORITATE PERILLUSTRIUM

NEC NON

AMPLISSIMÆ COLLEGII ET ACADEMIÆ FACULTATIS DECRETO,

DEO OPTIMO MAXIMO ANNUENTE,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJECTAM SUSTINUIT

JACOBUS TILTON, M. B.

DOVERIENSIS AD DELAWARE,

AD DIEM 28 JUNII HORA LOCOQUE SOLITIS.

Quæ præſenti opuſculo deſunt, ſuppleat ætas. *Quint.*

PHILADELPHIÆ:

Typis GULIELMI & THOMÆ BRADFORD.

M.DCC.LXXI.

VIRO ADMODUM ERUDITO

JOHANNI MORGAN,

Societatis Regiæ Londinenſis,

Atque

Collegii Medicorum Regii Edinenſis
Socio digniſſimo;

Medicinæ in Collegio Philadelphiæ
Profeſſori celeberrimo;

Ob inſignem erga ſe benevolentiam, haſce
Studiorum primitias,

D. D. D.

JACOBUS TILTON.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

HYDROPE.

CUM inter morbos chronicos periculosiores, et sæpe numero lethales, merito recensetur hydrops, medicorum interest, ut a nullo abhorreant labore, quo accurata magis, hujus periculosi cognitio morbi acquiratur; aut quo methodus medendi clarior elucescat. Plurimi, iique in arte medica pollentes viri speraverunt, multiplici subdivisione in varia genera, et species hydropem diversas distinguendo, hunc scopum attingere.

EORUM mos est, quoniam singula corporis organa huic morbo sunt obnoxia, voces certas illis imponere, pro ut omnes, vel partes singulas aquoso latice obrutæ sunt.

UT autem hujus academiæ institutis morem geram, quæ postulant ut omnes alumni, gradum doctoralem ambientes, specimen studio-

rum proferant, priuſquam hunc honorem aſſequantur, de hydrope diſſerere propoſui. Satis autem fore duxi de eo generatim dicere, quoniam indicationes curatoriæ in omni hydrope admodum ſimiles habentur, et ſermo de ſingulis illius ſpeciebus, fortaſſe hujuſmodi tentaminis fines, excederet.

MORBI DEFINITIO & NOMINA.

Morbus vocatur hydrops quando ſerum extravaſatur, et cavitatibus, telaque celluloſa, tanta copia recipitur & ibi ſtagnat, ut pars quælibet, vel totus corporis habitus tumore augeatur.

Hoc malum a vocabulo ὕδωρ aqua, græcis nuncupatur ὕδρωψ, ὕδερος, ὑδερικσις; interdum dicitur Παρεγχυσις, qua voce intelligitur præcipue hydrops diffuſus, quem vocat Horatius languor aquoſus.

DE GENERALI HYDROPIS DIVISIONE.

Prima & generalior hujus morbi diviſio eſt illa, quæ diſtinguit in hydropem cyſticum & diffuſum; ille complectitur omnes cavitatum majorum

majorum aquosos tumores, uti encephali, thoracis, abdominis, tunicæ vaginalis testium, &c. Hic vult aquæ diffusionem in tela cellulosa, qua corpus totum, vel pars quædam sit tumida.

Ulterius dividitur hydrops in varias species, pro ut hæc vel illa pars diversa morbo laborat. Itaque in encephalo, hydrocephali; in thorace, hydrothoracis; in abdomine, ascitidis; cumq: in membrana cellulari diffunditur, anasarcæ, et olim lencophlegmatiæ nomine venit.

Alia adhuc restat, non prætermittenda hydropis divisio in idiopathicum, quando morbus est originalis; et symptomaticum, nempe, cum ab alio morbo ortum ducit.

HISTORIA MORBI.

Sæpius incipit tumore pedum, præsertim vesperi quando digitis cedit prementibus, pars tumefacta, ex horizontali corporis per noctem situ, mane evanescit. Tumor pedum, circa talos sensim auctus, crura et femora ascendit; et postea in molem ingentem tumet

abdomen, qua mole percussâ, motus ille undulatorius, manu in contrarium latus admota, percipitur.

A PRINCIPIO morbi urina parca redditur, pallor vultuum, torpor & lassitudo gravis, artus occupant. Vix aut nulla est perspiratio; respiratio anhelosa, tumore augente invadit; et superiora corporis, eadem ratione qua tument inferiora, marcescunt. Tandem febris lenta eademque continua, cum appetitu vitiato, et siti inexplebili grassatur. Nonnunquam prominet umbilicus, dein hemorrhagiæ, ulcera, gangræna partium internarum externarumque sequuntur. Hinc mors.

HÆC autem omnia phænomena modo memorata, nec in quovis ægro, neque eodem ordine, se manifestant. Aliquando priusquam pedes occupat tumor, thoracem, abdomen et scrotum invadit. Et cum morbus non ad extremum sævit, symptomata violentiora absunt. Progressus morbi non est semper celer. In quibusdam lente, in aliis cito, sua stadia percurrit morbus. Multi sanitatem recuperant; plures autem moriuntur.

DIAGNOSIS.

Cum cursum suum regularem, ordine quo supra notavimus, absolvit, facilis est diagnosis. Incipiens autem hydrops a quibusdam aliis morbis difficilius distinguitur. Interdum summo opus est ingenii acumine, ab aliis morbis, varias hydropis species atque ejusdem accidentia dijudicare.

Norunt omnes Medici pedum et crurum tumorem, in viris, quam in feminis, hydropis symptoma certius esse; his enim utero gerentibus, aut mensium suppressione laborantibus, sæpius contigit, qui tamen cum morbis comitantibus evanuit. Tumores carnis preternaturales nonnunquam pro hydrope a quibusdam habitos esse memoravit Cl: Sydenhamus. *

Tympanites vel hydrops siccus, ut nonnullis placet, decipere potest, nisi ad sonum quem, tympani similem (unde nomen habet,) venter percussus edit, animum advertamus.

Observante Cl: De Haen, § incauti, tumore ventris a visceribus in eo contentis, falli

possunt

* Sydenham de hydrope, pag. 113.
§ Method. Med. pat. iv. pag. 99.

poſſunt, præſertim ſi comitetur pedum tumor hydropicus. Quam turpe vero foret medico, ſi per incuriam, operationem paracenteſis in hoc caſu inſtitueret? Sin autem daretur minima mentis attentio tumoris duritiei, et motus undulatorii abſentiæ, in abdomine percuſſo, ſummum hoc dedecus evitaretur.

In tumore ventris hydropico, num aqua in abdominis cavo, numve in cyſta intra duplicaturam peritonæi, aut in hydatibus, vel folliculis ad viſcera hærentibus, contineatur, ante operationem paracenteſis, merito dubitari queat; quæ, copia fluidi aliiſque phænomenis, hujus morbi naturæ, lucis multum attulerunt. Signa hydropis peritonæi diagnoſtica tradidit Liſter, quem ‡ per otium conſulere licet.

CAUSÆ ANTECEDENTES & OCCASIONALES.

Hydropis cauſæ antecedentes & occaſionales plurimæ ſunt. Non eſt hujus loci omnes enumerare, quod enim tædium afferret; ideoque eas ſolum, quæ magis ſunt notabiles, quam breviſſime potero, attingam.

Hydropem

‡ Academie des Sciences, l'anno 1707, mem. pag, 667.

Hydropem, aliosque quamplurimos morbos, genetali quadam labe a parentibus ortos, in natos procedere, experientia non dubitanda docet. Quomodo generationis opus revera peragitur, nos latet; rem ita se habere novisse, satis est.

Porro, Cibus humidus, vapidus, coctionis difficilis; potationes frigidæ, aquosæ, largæ & subitaneæ; liquores spirituosi immodice sumpti; aer humidus, evacuationes magnæ, vel contra naturam retentæ, solidorum robur et tonum minuendo, sanguinis et humorum crasin solvendo, etiam absque labe parentum, ad hydropem predisponere possunt.

Multæ aliæ affectiones morbidæ occasionem huic malo præbent; inter quas febres acutæ, viscerum obstructiones icterus, quartana pertinax et violenta, lienteria, diarrhæa, & dysenteria primum sibi locum vendicant.

CAUSA PROXIMA.

Hydropis causa proxima constat sero, lympha, aut humoribus aquosis, extra vasa fusis, aut copia nimium aucta excretis, et

minus

minus justo resorptis; qui in vasis lymphaticis distensis, in tela adiposâ vel in corporis cavitatibus recepti, stagnant, tumoremque hydropicum in quavis parte corporis inducunt.

Aliqui causam proximam in classes varias dividunt, et absorptionem lymphæ impeditam; venarum lymphaticarum rupturam; sanguinisque crasin solutam, pro causis proximis diversis habent. Sed causa proxima supra dicta est simplicior, omnesque alias complectitur, ideoque in omnibus dilucidandis, quæ ad hunc morbum expellendum, cognitu sunt necessaria, præferendus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pedum crurumve tumor, qui dat signum hydropis incepti, ingruit, quando sanguis ita solutus est, et ejus motus tam debilis, quod solo illius stagnat pondere, vasa lymphatica, quæ tunicis constant debilioribus, premit & distrahit. Præterea, experimentis Cl: Hales, quando aqua in sanguine superabundat, eam non per arteriarum extrema, in venas transire, sed viam, itinere magis expedito, per vasa brevia invenire in spatiola cellulosa, evincitur.

Ex physiologicis etiam constat cellulas membranæ adiposæ omnes inter se communicare. Unde intelligitur quomodo humor aquosus in illam fusus, vi gravitatis congeritur, dumq: ægrotus in situ corporis erecto se gerit per diem, pedes tument. Noctu autem dum idem recumbit, illo latice per corporis habitum diffuso, tumor disparet, iterum die, corpore erecto, vi gravitatis ad pedes redditurus.

Progressu morbi, quando copia humoris extra vasa fusi, sic tandem augetur, ut spatia cellularum inferiarum illum continere amplius nequeant, a pedibus ascendens tumor, primum crura, et postea femora occupat.

Depressio illa œdemati peculiaris quæ sub digitis manet, defectui elasticitatis fibrarum et vasorum, plane debetur, quæ ex sede sua remota, in statu sanitatis resiliunt, situmque priorem statim recuperant.

Venter *tumet*, artus quando inferiores copiam aquæ majorem retinere nequeant; tum enim in cavum abdominis per vasa dilatata vel rupta effunditur; et volumen ejus auctum erit semper in ratione copiæ fluidi illo recepti.

Parca *eſt urina*, quia pars ſanguinis aquoſi, qua præcipue conſtat, iter facit magis expeditum in telam cellularem et corporis cava, quam per arctos renum canales uriniferos.

Alvi *durities et tarditas* vulgo ſuperveniunt hydropi, quia viſcera chylopoietica plerumque obſtructionibus laborant, neque officio ſuo rite fungantur. Qua propter mucus, qui inteſtina illinit, et tranſitum fœcibus alvinis faciliorem reddit, parce ſuppeditatur; et bilis cujus eſt officium has promovere, copia aut qualitate deficiet. Addendum eſt, cum cavum abdominis aquoſo humore diſtenditur, inteſtinorum parietes non ſolum laxantur, ſed etiam hac iidem comprimuntur cauſa; fæces in craſſis retentæ inteſtinis duræ fiunt, & niſi vi magna excerni poſſunt.

Pallor *genarum*, *laſſitudo gravis & torpor artuum*, hydropis ſunt comites, quia ſerum pellucidum tum quantitate tum qualitate peccans, rubri ſanguinis locum habet; unde ſpiritus animales non recto modo in fibras matrices derivantur. Ventriculi interdum cerebri aqua obruuntur, quâ more lethargici, ſtupet ægrotus.

Nullus

Nullus eſt ſudor, iiſdem nempe cauſis, quæ parcam faciunt urinam, quia humores quo magis in quamcunque partem derivantur, eo minus cæteras vias naturales pervadunt.

Respiratio difficilis abdominis ſequitur incrementum, quoniam aqua ejus cavum ita replet, ut liberam pulmonis expanſionem, et diaphragmatis deſcenſum, quæ res, ad reſpirationem naturalem legitime perficiendam valde neceſſariæ ſunt, multopere impediat. In anaſarca generali, tela pulmonis cellulofa æque ac cæterarum corporis partium, fluidi dydropici ſedes eſſe poteſt, quod difficilem anhelitum et tuſſim inducet.

Extremitatum macies ſuperiarum, cum tumore inferiarum augente, creſcit. Quæ macies ex viſceribus chylopoieticis læſis, magnoque nutrientis materiei quæ in colluviem aquoſam abit diſpendio, oritur. Quæ enim abraduntur particulæ actionibus vitæ, longe aliis quam in ſano corpore, ſupplentur. Hinc partes corporis ſingulæ jacturam ferunt. Aqua autem vice adipis cellulas implet, et quia eæ inter ſe libere communicant, vi gravitatis propria, ſuperiora deſerens, inferiora petens, illa extenuata linquit, hæc mole auget.

Febris *tandem lenta* adeſt, quæ, ſanguini lympha ſua diluente orbato, et fluidis extra vaſa fuſis ad putrefactionem diſpoſitis, originem debet. Ex eodem fonte procedunt appetitus vitiatus, ſitis vix extinguenda, deſideriumq: potus aquoſi, quem exigit natura, ut humores acres diluantur, eoſdemque per vaſa in circulo ire, reddantur habiles.

Protuberat *umbilicus*, quia hæc pars abdominis, a primo natu debilior eſt; illam enim funis umbilicalis in fætu penetrat, quod, eadem firmitate qua reliqua pars lineæ albæ, nunquam coit. Hinc cum integumenta, fluido in abdominis cavitate contento, diſtenduntur, illa pars debilis protruditur.

Hæmorrhagiæ *e naribus* hydropicorum ſæpius profluunt. Nam etſi non ſit ingens copia ſanguinis in vaſis, attamen ejus pars major ad ſuperiora fertur, quia in anaſarca, trunci venarum ex artubus inferioribus orti, et in aſcite, aortæ deſcendentis rami, aqua circumfuſâ compreſſi, niſi per vaſa ſuperiora, liberum tranſitum ſanguini negat. Quinetiam ſi eodem tempore adſit reſpiratio difficilis, ſanguis venoſus a capite cum difficultate redit, unde calores et rubores ſubitanei in genis, et hæmorrhagiæ

ex naribus, a vaſorum quibuſdam capillarium ruptis, ſequuntur.

Ulcera & *gangræna* ſuperveniunt, quando ſeroſus humor tamdiu in tela cellulari ſtagnaverit, ut non modo cutem diſtendat, ſed mora acrior factus, eam inflamatione afficiat, et erodat. Viſcera etiam circumpoſita, fluidi ſtagnantis acrimonia, in pultem corruptam ſolvuntur. Hinc mors conſequitur.

PROGNOSIS.

Ad prognoſin rite formandam, non ſolum ætas et temperamentum ægroti, ſed etiam cauſa, progreſſus, & violentia morbi, ſunt expendenda. Quo natu minor eſt æger, eo major ſalutis ſpes habetur. Ratione temperamenti, ſi morbus, ex labe hæreditaria originem ducit, curatio ſolum palliativa expectanda eſt.

Cum hydropis cauſæ multifariæ ſunt, eadem ratione prognoſes variæ eſſe debent. Si ab impedita perſpiratione ſola, vel ſanguine tenuirori provenit, nil deſperandum; quando autem hepar ſchirroſum, vel cordis aut vaſorum majorum polypus morbum induxerint, mors citius ocius ſequetur.

Est

Est dictum Hippocratis, morbos diuturniores, recentibus esse periculosiores. Hoc procul dubio in hydrope verum est. Et quando non tantum omnia nostra conamina eludit, sed etiam mali symptomata augentur, viribus solutis, et omnibus fere functionibus læsis, mortem, ab ærumnis ægrotum esse liberaturam, tuto concludere licet. Symptomata mortem minantia in observationibus suis bene notavit Cl: Lommius. *

METHODUS MEDENDI.

Premissiis morbi historia, ortu, progressu & effectibus, tandem ad methodum medendi nos accingamus. Hæc, quæ sæpenumero in omni sæculo expertes medicos fefellit, nunc etiam temporis, quando ars medica admodum exculta, ad tantam eminentiam pervenit, adhuc difficilis restat. Quoad valet ars, sequentia effici possunt.

INDICATIONES CURATORIÆ; Nempe.

Prima. Est causam morbi tollere et corrìgere;

Secunda

* Lib. II. p. 142.

Secunda. AQUAM hydropicam e corpore educere;

Tertia. VIRES vitæ reſtaurare, et contra relapſum munire.

PRIMO. Inquirendum eſt diligenter, qualis mutatio morboſa in ægrotantis habitu, hanc extra vaſa fuſionem aquæ produxerit, quumque expertam habuimus ad eam tollendam totis viribus eniti debemus. Atque ut hoc magis faciamus non ſolum ad cauſam proximam reſpicere, ſed etiam ad cauſas prædiſponentes, et occaſionales, ſi eam, quæ optima eſt methodum medendi, inſtituere volumus, animum attendere oportet.

CUM morbus aliquibus ſolitis evacuationibus ſuppreſſis ortum debet, V. G. quando fluxus hæmorrhoidalis, catamenia aut materia perſpirabilis obſtruuntur, ſumma ope nitendum eſt ut adhibendo medicamenta aperientia, emenagoga et diaphoretica, evacuationes tales revocemus.

DUMMODO morbus ab hepatis aliorumve viſcerum obſtructione, ita vaſa lymphatica comprimente, ut eorum contentus humor intercipiatur extiterit; ea erit diſcutienda, antequam liceat perfectam a medicina ſperare ſalutem.

Ad

Ad hunc ſcopum ſpectant quæ vocantur medicamenta deobſtruentia, præſertim gummi ferulacea, ſaponacea, ſalia tum neutra, tum alkalina; et mercurius, qui in parvis doſibus, iiſque continuis eſt adhibendus.

Si concretiones in corde et vaſis majoribus polypoſæ, aut tumores, qui venarum ampliorum truncos comprimunt et per eoſdem tranſitum ſanguinis impediunt, malum produxerint; ſolvendi ſunt ii, priuſquam ſanabitur morbus. Ideoque perſiſtendum eſt in uſu aperientium et reſolventium diuturno, cum victu parca & facile coctu, caute vitando in rebus non naturalibus quoſcunque errores, qui ſanguinis circulum perturbare poſſint. Si hoc modo integra ſanitas reſtitui nequit, morbus ſaltem medelam palliativam admittet.

Cum ſanguis ſolutus, circuitum faciens nimis debilem, eſt cauſa morbi, eam corrigere oportet uſu adſtringentium et illorum quæ ſolida firmando, et eorum actionem in fluida augendo, corpus roborabunt. Cortex peruvianus, amara et calida aromatica primum ſibi locum vendicant.

In ſecunda indicatione, ſcilicet, ad aquam hydropicam educendàm, omnia, ſi fieri poteſt, ſunt

ſunt aperienda corporis emunctoria; adhibenda ſunt idcirco cathartica crebro repetenda, quæ vero præcipue hydragogorum nomine deſignantur, quorum copiam ingentem, materia medica ſuppeditabit. Ad eundem finem merito laudantur emetica, quæ vim vaſorum oſcillantem augendo, aquæ reſorptionem promovent.

Diuretica, urinam copioſe ciendo, magnos in hydrope præſtant effectus. Hoc enim in ſe peculiare habent, et propter ea catharticis anteponenda, quod, abſque virium jactura aquam eliciunt. Etſi ejus claſſis varia laudantur remedia, ſcilla et ſales neutri et alkalini, cæteris præferuntur.

In anaſarca præ cæteris utilia ſunt diapharetica, præſertim calida, ut ſerpentaria, camphor, opium, vinum antimonii, balneum e vaporibus et balneum ſiccum. Perutilis eſt manufrictio; eidemque ſcopo inſervit etiam oleo ventrem perfricare, quod forſan medium tantum frictionis bonum præbet.

Utrisque autem his indicationibus ſupra memoratis melius convenit mercurius, quam alia quævis remedia. Nam non tantum vim habet catharticam, diureticam et diaphoreticam,

ſed etiam fluxum humoris per glandulas ſalivales ingentem excitat. Sagaciſſimus ille medicus Cl: Boerhaavius jamdudum hujus remedii efficaciam, ad aquam in hydropicis evacuandam, uſu comprobavit. Sed propter opinionem quæ diu inter medicos prævaluit, mercurium agere, ſolummodo ſanguinis craſin ſolvendo, eumque in tenuitatem ſeroſam mutando, et mera ejuſdem diſſolutione, tum alias diverſas, tum maxime ſalivalem ſecretionem promoviſſe, idcirco ab uſu illius in hydrope, ubi portio ſanguinis rubri eſt nimis parva, abſtinebant.

Hic autem error nuper detectus eſt, et preparationes mercurii, effectu ſuo ſaluberrimo ad amovendum morbum, qui ſemper opprobrium medicinæ fuit, nunc libere adhibentur.

Mercurium non agere, ſanguinem ſolvendo, ſed quia vim poſſidet ſpecificam, ſolida corporis ſtimulandi, eodem modo quo alia medicamenta ſtimulantia, quæ vulgo innocentiora exiſtimantur, quibus probare licet, multa præſto ſunt argumenta. Hujus tentaminis propoſita brevitas, plura quam unum aut alterum vix proferre ſinet.

Primo. Si autem mercurius effectum ſuum preſtaret ſolum, ſanguinem in colluviem ſero-

ſam

ſam ſolvendo, quare per glandulas ſalivales potius quam per vias inteſtinorum et renum, quæ magis patulæ et majoris fluxus capaces ſunt, percolarentur fluida ſoluta? Hoc uno exemplo, nonne licet tuto concludere glandulas parotidas & ſublinguales quæ ſalivam fundunt, eadem ratione mercurii præparationibus, qua inteſtina & renes catharticis et diureticis, nempe ſtimulo quodam ſpecifico, affici?

Secundo. EXPERIMENTUM facile, quod omnes medicos penes eſt, evincet ſanguinem primaria mercurii actione non diſſolvi. Si enim ſanguis hominis in quo excitatur ſalivatio mercurialis, examini ſubjiciatur, eandem craſſamenti portionem (et æque denſam) cæteris paribus, quam in alio cujuſvis ſanguine inventum eſſe experimentis comprobatur.

POSTREMO, ad evincendum hujus remedii uſum, aliiſque commendandum, ſatis erit exemplum proferre. Vidi ægrotum quemdam in Noſocomio Pennſylvanienſi, hydrope laborantem, qui ingentam copiam humoris ſalivatione mercuriali quotidie rejecit. Quam hydropem medendi methodum miratus, ipſemet dixi, periturum eſſe ægrotum. Et quia ratus

eſſem hoc, caſu, non ex propoſito, eveniſſe, medicum qui ſuam vicem tum explebat, ægrotos in noſocomio curandi, rogavi, quare eos, ita tractaret. Tunc primum ab illo edidici hanc methodum hydropicos tractandi in noſocomio uſitatiſſimam eſſe. Voluptate ſummâ aquam hydropis diuturni ſenſim diminui quotidie obſervavi, et ægrum brevi tempore ad ſanitatem reſtitutum diſceſſiſſe. Alia plura exempla habentur hydropicorum, qui eadem methodo ſalutem recuperaverunt, ſub cura medicorum in noſocomio maxime celebrium, qui, quotannis, multis pauperibus illius nobiliſſimi inſtituti gratis opem dederunt,*

Si contra remedia jam memorata, malum ita obſiſteret ut iiſdem non cederet, tunc tentandum eſt veſicantibus, fontanellis, ſetaceis et ope paracenteſis aquam emittere, quæ debent repeti quotieſcunque latex aquoſus moleſtiam pariat, et in tanta copia colligatur ut magnopere corporis functiones impediat. Quomodo operatio paracenteſis inſtituenda eſt, conſule Sharpe alioſque in chirurgia ſcriptores,

TERTIAM.

* Mos eſt in noſocomio dare mercurii doſes parvas, crebro repepetitas, ita ut leniter afficiant glandulas oris, aliis evacuantibus et roborantibus non prætermiſſis. Vidi autem ſalivationem, ad quemdam gradum evectam optime procedere, quando vix aliud ullum adhibitum fuit.

TERTIAM et ultimam indicationem diximus esse vires vitæ restaurare, et contra relapsum munire.

HYDROPEM semper comitantur laxitas et debilitas ingens, corporis universi, at præcipue viscerum, quæ sepænumero in balneo quasi humoris aquosi tepefacta emolliuntur. Huic remedia cardiaca, callida stimulantia, et roborantia, non tantum in intervallo quo nulla dantur evacuantia, aut eorum tempore sumendi; sed etiam quando tota aqua educitur, perquam sunt necessaria.

INTER roborantia eminet chalybs. Hunc in forma salina, vel in acido solutum dare præstat, nisi cum acidum in primis viis prædominetur quod illum solvere, et cum corporis humoribus miscibilem reddere potest. Quoniam autem ex chymisis constat alkalina potestatem habere attractione quadam electivâ acidum a nexu cum metallis solvendi, eaque in forma terræ precipitandi a menstruo ejus, in statu fluido existente, hinc alkalina et alkalescentia simul præscibere minus idoneum est, dum ferrum pro medicamento datur, quia privant illud ea forma, sub qua sola in sanguinem penetrare queat. Multum etiam materiei indigestilibis, ut ille

calx

calx præcipitatus primis viis conditus, injuriosam ejus naturam plane indicat. Eadem cautela opus est, quando detur mercurius in forma salina, vel cum acido unitus.

Ad hanc ultimam indicationem recte tractandam, qua vires restaurentur et fibræ roborentur; exercitia validiora multum præstant. Exempla sunt plurima hydropicorum qui longo itinere pedestri, ad sanitatem restituti fuerint, itaque per ambulatio cæteris præferatur.

In hydrope, cibum oportet esse siccum, et pane biscocto, carne assata et ribesiis constare. Potus meracior, parva autem copia sumendus est. Vina generosiora rubra quæ vim fibras roborandi habent, sive sincera, sive aqua mixtâ, pro potu laudantur. Aliqui bibunt mixturam ex aqua, saccharo et spiritu vini gallici. Ad sitem autem melius tolerandum mala limonia, tamarindas, vel radicem glycirrizæ, manducare conducet. Hæc enim fluxum salivæ in os excitabunt et desiderium bibendi minuent; qnod in hydropicis est symptoma valde molestum, et quo indulgere ægrotis non tuto licet; nam ut eleganter cecinit Horatius, crescit indulgens

dulgens ſibi dirus hydrops nec ſitem pellit, niſi cauſa morbi fugerit venis et aquoſus albo corpore languor.*

Aer quo purior et magis ſerenus, eo melior eſt, et vice verſa; aer urbanus eſt ruſtico anteponendus.

Non eſt protrahendus ſomnus, quia, corpus laxatur dum lectum tepidum fovemus, et exercitiis propriis, minus idoneum redditur.

Denique, ſi poteſt, mentem gerat alacrem, quæq: de rebus proſperis, et animo gratis verſetur; nam jucunditas animum exhilerat corpus firmat; nihil enim, et mentem et corpus magis debilitat, quam animi affectionibus triſtibus aut ærumnis occupari.

* 2. Horat. Flac. Carm. Lib. 1.

FINIS.